Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26328
Copyright: Admont, Benediktinerstift

bis indie necesse erat offerri. quia sacerdos super mortem nondum sepulti
patris prohibetur intrare. Sed parum attendi potuisse hoc praecipi magis
propter illos qui futuri erant summi sacerdotes. non patribus summis sacerdotibus
succedentibus. Sed tamen ex filiis id est ex posteris aaron. si forte
summus sacerdos aut filios non haberet. aut ita reprobos haberet. ut
nullus eorum patri deberet succedere. sicut samuel summo sacerdoti
heli successit. cum sacerdotis filius ipse non esset. sed tamen hoc est ex posteris
esset aaron. De latrone etiam cui dictum est hodie mecum eris in
paradyso. quod non fuerit visibiliter baptizatus quasi certum posui cum sit
incertum. magisque illum baptizatum fuisse credendum sit. sicut
ego quoque alibi postea disputavi. Item quod in libro v. dixi cum commemo
rarentur matres in generationibus evangelicis nec eas positas non cum
patribus verum est quidem sed ad rem de qua agebatur non pertinet. Agebatur
autem de his quae ducebantur fratrum vel propinquorum coniuges. eorum qui sine
filiis defuncti essent. propter duos patres ioseph. quorum alterum
matheus commemorat. alterum lucas. De qua quaestione diligenter
in hoc opere disserui. cum retractarem opus nostrum contra faustum
manicheum. Hoc opus sic incipit. Cum scripturas sanctas quae appellantur
canonicae. De anima et eius origine libri iiii.

Eodem tempore quidam vincentius victor in mauritania
caesariense invenit apud yspanum quendam presbyterum petrum non nullum
opusculum meum. ubi quodam loco de origine hominum singulorum.
utrum ex illa una primi hominis. ac deinde ex parentibus
propagentur. an sicut illi uni sine ulla propagatione singulae
singulis dentur me nescire confessus sum. veritatem scire
animam non corpus esse sed spiritum. Et contra ista mea ad eundem
petrum scripsit ille duos libros quos mihi de caesarea renatus
monachus misit. Quibus ego lectis responsione mea iiii.
reddidi. unum ad renatum monachum. alterum ad presbyterum
petrum. et duos ad eundem victorem. Sed ad petrum quamvis